

No. 459. 1351. 8. Sept.

Probst und Convent des Nonnenklosters zu Döbeln eignen der Domkirche dankbar für die Verleihung der dasigen Parochialkirche einige Geld- und Getreidezinsen.

In nomine domini amen. Noverint universi praesentium notitiam habituri, quod nos Johannes de Lubin praepositus, Katherina abbatissa, Margareta priorissa totusque conventus sanctimonialium monasterii in Dobelin Misnensis diocesis promissimus et promittimus bona fide, quod ratione incorporationis et unionis factae monasterio nostro de ecclesia parochiali oppidi in Dobelin cum fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus et iuribus universis ad eandem ecclesiam pertinentibus per reverendum patrem dominum Johannem episcopum Misnensem de consensu expresso capituli sui et specialiter domini praepositi Misnensis, eidem domino episcopo et suis successoribus de omnibus et singulis iuribus episcopalibus et praeposito Misnensi pro tempore de iuribus archidiaconalibus volumus perpetuis temporibus plene et integraliter respondere, subsidia caritativa, quando a clero dictae Misnensis diocesis peti et dari contingerit, dare et persolvere plenarie omni excusationis materia procul nota. Recognoscimus etiam, quod quia multa beneficia nobis per capitulum dictae Misnensis ecclesiae sunt impensa, nos in eorum recompensam deliberatione matura ac tractatu solempni et aliis solempnitatibus, quae in alienationibus requiruntur, praecedentibus dedimus et donavimus eidem Misnensi ecclesiae in usus praefati capituli convertendos censum annum seu redditus infrascriptos, videlicet in villa dicta Houechen^{a)}, in qua ecclesia parochialis in Lubin^{b)} duo talenta Vribergensium denariorum minus XXVI denariis et II $\frac{1}{2}$ modium tritici, viginti pullos et quinquaginta ova habere consuevit, quem censum plebanus in Lubin nobis et nostro monasterio solvere singulis annis tenebatur, praedicta duo talenta minus XXVI denariis et unum modium tritici cum XVII pullis et viginti ovis, altero dimidio modio tritici tribus pullis et XXX ecclesiae in Lubin reservatis, quem censum infrascripti et eorum heredes ac successores dictae Misnensi ecclesiae perpetuis temporibus solvere tenebuntur, videlicet Jenchinus de parte sui allodii XII grossos latos et duos pullos, Johannes Winkeler de parte allodii XII grossos latos et duos pullos, Johannes Schonebir in Muzcewitz^{c)} de parte allodii III^{or} solidos Vribergensium denariorum et duos pullos, item pueri dicti de Waldow VI solidos Vribergensium denariorum et III^{or} pullos, plebanus in Zeyginhayn III solidos Vribergensium denariorum et unum pullum de parte agrorum dicti allodii, item Pecz textor unum solidum Vribergensium denariorum et duos pullos, item Martinus Plachtz III solidos Vribergensium denariorum et unum pullum, item Jenchinus de uno manso rusticano XXVI grossos latos, tres pullos, XX ova et unum modium tritici, ipsi et eorum quilibet in festo beati Martini confessoris, duo etiam maldaria siliginis bonae et electae annonae de curia seu allodio nostro in Stuchow, ubi olim nostrum fuit monasterium, annuorum reddituum eidem Misnensi ecclesiae damus et donamus et singulis annis in dicto festo persolvenda cum nostra vectura in Misnam praesentanda nos et nostrum

a) Alt- und Neuhöfchen, Par. Rüsseina. b) Leuben, Eph. Meissen. c) Mutzschwitz, Par. Rüsseina.